

## Telemachi fatorum liber tertius,

(e gallico in latinum sermonem conversus a Dir. Jos. Meis).

Argumentum: Narrat Telemachus, remissos esse a Bocchoridis successore Tyrios omnes captivos, quibuscum se navi Narbalis, classi Tyriæ præfecti, Tyrum deductum; a Narbale descriptum sibi Pygmalionem regem, cuius crudelis avaritia esset tinenda; præterea se ab eodem Narbale negotiationis Tyriæ leges edictum; atque in eo iam fuisse, ut ingrederetur navem Cypriam, qua per Cyprum Ithacam repeteret, cum accepto generis externi indicio se comprehendi iussisset Pygmalionem; exitio se tum fuisse proximum, servatum tamen ab Astarbe tyranni concubina, pro seque ad supplicium per eam datum iuvenem quendam hominem, qui mulierem contemnendo iratam sibi fecisset.

### FATA TELEMACHI, FILII ULYSSIS.

Calypso stupens audit tam cate dicta. Summa vero cum voluptate Telemachum videt ingenue enarrantem, quæ peccaverat vel raptus cæco animi impetu, vel Mentoris sapientibus consiliis parum obsecutus. Nobilitatem quandam animadvertit et magnitudinem singularem huius hominis adolescentis, qui se ipse accusat et ex imprudenter factis sobrie provideque ac moderate vivendi præclarissima cepisse documenta videtur. Perge, inquit, dulcissime Telemache, longum est mihi rescire, et qua ratione evaseris ex Aegypto, et ubi terrarum repereris Mentorem, quem amissum non iniuria doluisti.

Telemachus ad id, unde digressus erat, reversus: Aegyptiorum, inquit, optimi regique fidelissimi cum viribus essent inferiores, trucidato rege adversariis cedere coacti sunt. Creatus est rex alius, cui Termuti erat nomen. Phœnices milesque Cyprius domos reverterunt, societate

cum novo rege coniuncta. Is omnem reddidit captivam Phœnicum pubem, quorum in numero et ego ducebar. Emissus e turri classem cum reliquis conscendi, et in intimo pectore spes relucescere cœperunt.

Vela iam vento turgent; remex undas secat spumosas; navibus vastum mare tegitur; lætos clamores tollit nauta; Aegypti litus procul a nobis recedit; colles montesque paulatim desidunt. Nihil iam occurrit præter maria et cœlum, cum interea sol oriens ignes rutilos ex oceano emergere videtur; radiorum auro resplendent montium cacumina, quæ prospicientibus vixdum adparent; totiusque cœli color cœruleus prosperam nobis navigationem portendit.

Dimissus, quasi e Phœnicia oriundus, ab omnibus, quibuscum eram, Phœnicibus ignorabar. Narbal, dux classis, cuius in navem imponor, quod nomen sit mihi, quæ patria, a me quarit. Qua ex urbe Phœnicia es? — Phœnicus non sum, sed in navi Phœnicia vectum Aegyptii me exceperant. Phœnicis nomine captivus in Aegypto restiti; eodem nomine multa tuli; eodem liberatus sum. — Cuiatem ergo te esse dicis? — Telemachus sum, pater meus Ulysses, rex Ithacæ in Græcia, ante omnes, qui Trojam oppugnarunt, reges fama notissimus, cui redi-tionem in patriam dii negarunt. Pluribus in terris quæsivi absentem; quæ illum, ea me quoque fortuna insequitur; miserum vides, uno remeandi ad suos patrisque visendi studio incensum.

Narbal admiratur loquentem et nescio quid fausti ominis animadvertere se putat, quod munere deorum mihi datum, nec mortalium vulgo commune sit. Sincerus suoapte ingenio ac generosus sorte mea movetur, meque cum fiducia quadam adfatur, quam, ut periculo magno me liberaret, animo dii immiserunt.

Quæ dicis, inquit, in dubium non revoco, Telemache, nec fas foret. Eminens e vultu suavitas virtusque me tibi diffidere vetat. Quin etiam a diis, quos colui adhuc, te amari, atque ut ego pariter paterno te amore amplectar, eosdem velle sentio. Salubre tibi consilium dabo mihiq; præmii loco unam depono tuam taciturnitatem.

Noli metuere, inquebam, ne, quæ meis auribus commiseris, reticere mihi sit difficile. Admodum invenis, tamen consenui iam in consuetudine neque animi mei secreta, nec, quod maius est, ea, quæ quis mihi crediderit, arcana ullo unquam nomine prodendi.

Tu vero, inquit, teneris adhuc annis quemadmodum adsuevisti taciturnitati? Quibus artibus hanc comparaveris virtutem, qua ut fundamento summa vitæ sapientia nititur, et qua deficiente nullus est facultatum omnium fructus, scire ex te velim.

Tam ego: Ulysses, — ita enim mihi narrarunt, — ad obsidionem Troiæ profecturus gremio amplexuque me exceptum tenerrime osculatus huiuscemodi verbis, quamvis captum superantibus meum, compellavit: Ne unquam te deinceps videam, fili mi! Utinam potius, sicut tenerum, qui dehiscere cœpit, flosculum falce messor resecat, sic Parca vix inchoatum vitæ tuæ stamen rumpat! Utinam inspectantibus nobis, et matre et patre, hostes te proterant, siquando committas, ut depravatus a virtute deflectas! Hunc vobis, amici, relinquo filiolum, mihi sua-

vissimum; infantis curam agite. Siquis mei amor est, adulationis pestem ab ipso prohibete; discat a vobis animum vincere; sit veluti tenera arbuscula, quam flectunt, ut dirigatur. Maxime vero nihil, quod iustum, quod beneficium, quod ingenuum, quod taciturnum efficiat, omittite. Quicumque mendacio fallere potest, indignus est, qui hominum numero habeatur, et quisquis tacere nescit, imperio indignus.

Hæc tibi verba refero, quod identidem mihi diligentissime decantata in intimum pectus descenderunt; eadem illa sæpius mihi ipse repeto. Amici patris mei in eam incumbabant curam, ut in reticendis rebus secretis tempestive me exercerent. Parvulo mihi iam concredebant omnes sollicitudines suas, cum matrem meam permultorum hominum nuptias ambientium temeritati obiectatam conspicerent. Ita ex illo tempore tractabant me tanquam animi maturum certæque fidei hominem; sæpe de summis rebus mecum agebant; quid ad submovendos petitores istos statuissent, edocebant. Tantam mei gaudebam esse fiduciam, unde mihi iam ipse vir perfectus atque absolutus videbar. Nec vero nunquam tali abusus sum fiducia, neque ullum ex hoc ore verbum exiit, quod vel tantillum evulgarit arcani. Sæpenumero in sermonem proci me impellebant, puerum sperantes, siquid maius vidisset audissetque, continere vocem non posse. Ast respondens ego ita egi, ut neque mendacium dicerem, neque effutirem tacenda.

His dictis Narbal: Cernis, inquit, Phœnicum vires, Telemache! Immenso navium numero cunctis nationibus vicinis metuendi sunt. Quas ad columnas usque Herculis mercaturas faciunt, eæ parant divitias, quibus florentissimos quosque populos præcedunt. Sesostris, rex magnus, qui nunquam mari eos vicisset, vix terra vicit milite totius orientis domitore. Imperavit tributum, quod haud diu pependimus. Pecuniosiores erant potentioresque Phœnices, quam qui servitutis iugum æquo animo tolerassent. Libertatem recuperavimus. Bellum nostrum patrare mors Sesostridem prohibuit. Equidem omnia erant metuenda ab ipsius ingenio magis etiam, quam a viribus, quæ quum a patre transissent ad filium, ingenio prorsus destitutum, nihil iam pertimescendum censuimus. Et sane tantum abfuit, ut Aegyptii in fines nostros armati redissent iterum nos subacturi, ut nostrum implorarent auxilium, quo a regis istius impietate ac furore liberarentur. Liberavimus. Quantus inde gloriæ cumulus ad libertatem opesque Phœnicum accessit!

Sed dum liberamus alios, ipsimet interim servimus. Time, mi Telemache, in sævas Pygmalionis regis nostri manus venire, quas Sichæi, mariti sororis suæ Didonis, sanguine incestavit. Dido ulciscendi inflammata studio pluribus cum navibus Tyro profugit, secuta parte maxima eorum, qui virtutem libertatemque amant. In oris Africae urbem insignem condidit, cui Carthagini nomen est inditum. Pygmalion inexplebili divitiarum siti vexatus cum suas calamitates, tum populi invidiam magis magisque auget. Crimini vertitur Tyri magnas fortunas habere. Diffidentiam, suspiciones, crudelitatem avaritia regis animo iniicit. Persequitur opulentos, inopes metuit.

Maius etiam crimen Tyri est habere virtutem; bonos enim Pygmalion iniuriarum flagitiorumque suorum impatiētes esse pro explorato habet. Damnat eum virtus, adversus damnantem ipse irritatur exacerbaturque. Re qualibet agitur, angitur, exanimatur; sua terretur umbra;



nocturni diurnique expers somni est. Ut confundatur, a diis cumulatur opibus, quas usurpare non audet. Quod ad beate vivendum concupiscit, idem illud, quominus vivat beate, impedit. Datum desiderat, ne perdat, usquequaque anxius. Lucri faciendi causa sese exernciat. Nullo propemodum tempore in conspectum populi venit; solus, mæstus, abiectus in aliquo regie angulo latitat; amicis ipsis, ne in suspicionem cadant, adeundi propius metus est. Horribilis satellitum turba strictis gladiis elatisque hastis regiam semper circumstetit. Cubicula triginta inter se pervia, quorum singula fores ferreas habent senis instructas pessulis, loca sunt, in qua sese includit. Quo in cubili pernoctet, incertum est; neque in eodem duas unquam noctes continuas metu cædis transigere narratur. Ignarus est voluptatis blandæ, ignarus blandioris etiam amicitiae. Siquis hortatur, sectetur gaudia, gaudia sentit esse fugitancia sui suumque pectus aversari. Oculi cavati fero trucique igne ardent, omnem in partem continuo circumaguntur; ad strepitum vel minimum aures adrigit omnibusque artubus contremiscit; os pallidum, macilentum corpus, frons atris usque rugata curis est; tacitus suspirat, altos e pectore gemitus trahit, morsus interiora dilaniantes nescit dissimulare; epularum fastidiosus est vel exquisitissimarum. Quos genuit liberos, ii ipsi terrori sunt, nedum spei; inimicissimos sibi fecit periculosissimosque. Nullo horæ momento securus vixit, nec nisi eorum, quos timet, sanguine fundendo vitam conservat suam. Insanus, quin intelligat, eandem illam, cui gratificatur, crudelitatem interitus sui causam futuram! Purpuratorum aliquis non minus, quam ipse, diffidens, terrarum orbem liberare monstro isto maturabit.

Equidem reveoreor deos; quantocunque stat, regi, quem mihi dederunt, fidelis ero; me ab eo, quam a me eum perire malim, ipsumque meum deesse ei præsidium. Tu vero, Telemache, cave Ulyssis filium te prædices; grande ille sibi redemptionis pretium ab Ulysse in Ithacæ reversuro solutum iri sperans te carcere inclusum teneret.

Tyrum quam advenissemus, Narbalis secutus consilium intellexi, quam vere mihi narrasset omnia. Quo autem pacto quisquam reddere se tam infelicem posset, quam mihi videbatur Pygmalion, mens mea capere nequibat.

Atrocitate rei percussus ac novitate, ita mecum: En hominem, qui id unum egit, fortunatus beatusque ut esset; opibus summaque auctoritate eo perventurum se existimavit; quidquid habere animo ardet, habet et tamen opibus atque auctoritate ipsa miser est. Pastor si esset, ut nuperrime ego, non minus, quam ego fui, felix foret; ruris innocentibus deliciis frueretur, frueretur sine angore animi et sollicitudine; nec ferrum metueret, nec venæa; diligeret homines, ab hominibus diligeretur. Immensis quidem illis careret divitiis, quæ ipsi non magis, quam sabulum, utiles sunt, cum attingere non audeat; at vero libere vesceretur terræ muneribus, neque ullius rei vere necessariae egeret. Homo iste quidquid vult, facere videtur; ut vero faciat, multum abest; facit, quidquid effera imperant cupiditates. Avaritia, metu, suspicionibus perpetuo tentatur; dominari in reliquum mortalium genus videtur, neque sibi ipsi dominatur; quot enim violentas cupiditates, tot dominos habet tortoresque.

Talia ego de Pygmalione in viso; neque enim eius videndi ulla erat copia; non sine horrore conspiciabantur tantummodo excelsae turres, exeuhiis vigiliisque circumseptae, quibus tanquam carcere et se et suas divitias incluserat. Comparabam regem istum, qui a nemine videbatur, cum Sesostride tam humano, tam facili, tam affabili, tam avido exteros videndi, tam intento et ad audiendos singulos et ad veritatem, quam reges celantur, hominum ex animis expiscandam. Sesostri[sic] [sic mecum] nec timebat quidquam, nec, quod timeret, habebat; civibus se tanquam liberis in conspectum dabat. Hic autem timet omnia, atque omnia ipsi timenda sunt. Hic rex nefarius funestae semper neci patet in ipsa illa inaccessa regia, medius inter satellites. Sesostri[sic] contra, rex ille bonus, inter civium suorum globum carebat insidiis, ut bonus paterfamilias domesticorum corona stipatus.

Mandavit Pygmalion, ut Cyprii, qui suis auxilio venerant propter utriusque gentis societatem, domum reverterentur. Narbal cum utendum ea occasione mei in libertatem vindicandi putaret, lustrandum me cum milite Cyprio curavit; regis enim suspicio ad res vel minimas descendebat. Principes leviores et minus attentum peccant in eo, quod hominibus, quibus favent, versutis pravisque caeca quadam fiducia se committunt; at vero peccabat iste, quod honestissimis quibusque diffidebat. Viros rectos ac simplices, fucum facere dedignant, non internoscebat; neque vero unquam viderat bonos, utpote qui regem tam corruptum negligant. Accedebat, quod, ex quo dominatum occuparat, in iis, quorum opera erat usus, tantum dissimulationis, tantum perfidiae atrociumque vitiorum virtutes simulantium cognoverat, ut mortales ad unum omnes simulatores dissimulatoresque existimaret. Cum persuasum haberet, non esse in terris veram virtutem, hominem hominis fere similem credebat. Quodsi in fraudulentum aliquem perversumque incurreret, haud dabat operam, ut quaereret alium, alium ratus non fore meliorem. Pessimis peiores ipsi videbantur boni, quos non minus malos, immo vero fallaciosos indicaret.

Ut ad me revertar, Cypriis intermixtus acutissimam regis suspicionem effugi. Narbal trepidabat metu, ne proderet; id ipsi simul et mihi morte stetisset. Incredibile dictu est, qua cupiditate nostram exspectarit protectionem; reflantibus vero ventis Tyri diutius tenebamur.

Ea mora utebar ad perdiscendos Phoenicum mores apud omnes, quos novimus, populos celeberrimorum. Mirabar praegrandem hanc urbem in insula medio mari opportune sitam. Ora proxima et fertilitate sua et exquisitis, quos gignit, fructibus et oppidorum viculorumque se quasi tangentium multitudine et caeli denique temperie est antenissima, quippe quae montibus ab aestu austri defendatur refrigereturque borea a mari spirante. Terra illa subest radicibus Libani montis, cuius vertex scissis nubibus sidera ferit; frontem aeterna contegit glacies; de summis circum caput saxis annes nivosi ceu torrentes decurrunt. Subiectam cernis silvam ingentem cedrorum annosarum, quae solo ipsi videntur congenite densosque ramos nubibus immiscent; silvam urgentem lata in defectu montis pascua. Ibi conspiciuntur errantes cum mugitu tauri; oves teneris cum agnis balantes in graminibus lascivunt; ibi mille limpidi

serpunt rivuli; denique infra pascua illa adparent montis radices horto similes, ubi cum vere simul autumnus regnat, fructum cum flore iungens. Neque unquam pestiferam austri omnia exsiccantis exurentisque flamen, neque vis aquilonis ausa est vivos colores, horti illius ornamenta, extinguere.

Prope ab amœna illa ora e mari exurgit insula, in qua Tyrus est condita. Urbs illa immensa innare aquis et maris universi regina esse videtur. Huc ex omnibus omnium gentium partibus negotiatores confluent, et Tyrii ipsi cunctis ubicunque terrarum mercatoribus nominis celebritate præstant. Vix ingressus mœnia, urbem non unius cuiusdam gentis esse, sed omnium omnino populorum communem, in eamque veluti centrum negotia omnia commeari diceres. Duas illa habet moles ceu totidem brachia porrecta in mare vastumque portum ventis impervium amplectentia. Hoc in portu silvam, ut ita dicam, malorum vides, naviumque tanta obicitur multitudo, ut mare substratum oculis vix cernere queas. Mercaturis cuncti se dant cives, quibus licet ditissimis nunquam tedio fit labor, ad augendas divitias necessarius. Ubique byssus Aegyptia occurrit Tyriaque purpura bis tincta, miro splendore; ea sic tincta vivum accipit colorem, quem longinquitas temporis non delect. Hac ratione imbuunt primæ notæ lanas, quibus aurum argentumque intexunt. Phœnices omnium Gadibus tenus populorum commercio gaudent; quin in vastum oceanum terris circumfusum penetrarunt. Longa etiam in mari rubro fecere itinera, quibus aurum ignotis ex insulis petunt odoresque et varia animalium genera, quæ nusquam alibi conspiciuntur.

Non satis pascere oculos poteram magnifico ingentis huius urbis spectaculo, in qua fervebat opus. Non ibi, ut in oppidis Græciæ, obvii mihi erant homines otiosi curiosique, qui et forum frequentant res novas audituri et portum visuri advenas. Viri naves exonerant, transportant merces aut vendunt, repositas domi ordinant et pecuniarum, quas externi debent negotiatores, accuratam rationem ducunt. Feminae vel trahere lanam, vel præformare opera acu pingenda, vel opipares plicare pannos nunquam intermittunt.

Unde est, Narbal, ut Phœnices totius orbis commercio sint potiti atque ab omnibus aliis gentibus ditescant?

Vides, inquit, opportunum mercaturis Tyriæ urbis situm. Patriæ nostræ laus est navigationis inventæ. Tyrii, [siquidem fides habenda est iis, quæ de obscurissima antiquitate commemorantur,] primi, multo etiam ante Tiphyn atque Argonautas Græcorum fabulis adeo celebratos, fluctus domuerunt. Primi, inquam, fragili se committere rati ausi sunt, procellis tempestatibusque iactati; primi marinos tentarunt gurgites; primi ab Aegyptiis Babyloniisque procul a terris sidera servaverunt; primi denique tot populos oceano dissociatos consociavere. Tyrii gens est industria, patiens, laboriosa, studiosa munditiæ, sobria, quæsiti tenax; exacto urbis regimine gloriatur; concordissime vivit; neque alia unquam fuit, quæ constantia, quæ integritate, quæ fide, quæ sanctitate, quæ opportunitate advenis quibuscunque oblata Tyriam gentem superaverit.



Ut alias omittam causas, hæc ipsa Tyro pariunt imperium maris et portui tam utilis commercii florem. Quodsi cives dissensionibus inter se atque invidiæ locum darent, si emolirentur luxu et otio, si in urbe honos artibus esse cessaret, si frangeretur data exteris fides, si liberi commercii leges vel tantillum immutarentur, si negligerentur officinæ, nec iam præcipi posset grandis illa pecunia ad merces in suo quamque genere perficiendas necessaria; quam nunc admiraris potentiam, eam brevi coincidentem videres.

At, inquiebam, doce me proprias artes, quibus aliquando ad simile commercii genus pervenire queant Ithacenses!

Tum ille: Fac, quod faciunt Tyrii: accipe benigne ac comiter quoslibet peregre advectos; his securitatem commoditatemque et plenam libertatem portus tui præbeant; ne avaritia tuum unquam animum occupet, neu arrogantia. Ars vera multum lucrandi est et nolle unquam nimium lucrari et tempestive perdere. Fac diligaris ab omnibus exteris; molesti etiam aliquid ab illis patere; verere superbia accendere invidiam; sis constans commercii legum; sint illæ simplices, sint faciles, quas stricte sequi per te cives consuescant; acriter animadvertite in fraudem ipsamque negligentiam fastumve negotiantium, qui commercium ipsum pessumdant, pessumdando eos, qui exercent; maxime vero illud cave committas, ut ad tuam lubidinem mercaturas divexes. Aequius est principem neque negotiis se immiscere, et quidquid inde capiatur emolumenti, id omne civibus, qui suscipiant, concedere; aliter animum franget. Sat utilitatis erunt immensæ opes in regnum confluxuræ. Commercii eadem est ratio, quæ fontium quorundam, quos si in alium cursum deflexeris, siccabis. Unum lucrum, una commoditas intra fines tuos cogit alienigenas, quibus si commercii opportunitates ac fructus imminueris, recedent paulatim, neque revertentur, cum ab aliis populis tuam imprudentiam in rem suam convertentibus allecti te carere adsuescant. Quin fateor tibi, aliquo abhinc tempore insigniter obscuratam esse Tyri gloriam. Quam si ante Pygmalionem regem vidisses, suavissime Telemache multo maior tua fuisset admiratio. Nunc nonnisi tristes magnitudinis iamiam collapsuræ reliquias intueris. O miserandam Tyrum, in quas tu manus incidisti, cui olim cunctarum gentium tributa oceanus advehebat!

Pygmalion non minus ab aliis, quam a suis timet. Quum remotissimis quibusque nationibus more antiquo liberrimus esse debeat aditus ad portus, scire avet, quot adpellantur navigia, unde veniant, quæ sint nomina adpulsorum, quod mercaturarum genus faciant, quæ mercium sit conditio, quod pretium, qui commorandi terminus. Quod peius est, dolo malo negotiatores capit mercibusque muletat. Quos ex iis putat ditissimos, vexat; nova variis nominibus imponit portoria; in societatem commercii ardet ipse venire, nec quisquam est, quia rem cum eo habere timeat. Ita commercium languescit. Nationes exteræ Tyri viam olim sibi potissimam pedetentim dediscunt; et nisi mores mutet Pygmalion, gloria nostra ac potentia quamprimum ad alium nescio quem populum transibunt, qui meliore, quam nos, imperio regitur.

Quibus auditis rogavi Narbalem, quo demum pacto Tyrii tantam mari potentiam essent consecuti. Quidquid enim regni gubernandi est, ignorare nolebam.

Nostræ sunt, respondit ille, Libani silvæ, quæ navium materiem nobis suppeditant; eam sedulo hunc in usum reservamus; nec, nisi communis utilitas postulat, ligna unquam cæduantur. Navium construendarum non ignari nobis obtigerant fabri.

Quomodo eiusmodi fabros nacti estis?

Ad ea Narbal: E gente nostra sensim prodierunt. Quodsi liberaliter remuneraveris eos, qui artibus excellunt, certa spes est brevi futuros esse, qui, quantum fieri potest, eas perficiant. Etenim solertissimus quisque et ingeniosissimus maxime profecto in eas artes incumbet, quibus maxima proposita sunt præmia. Apud nos in honore est, quicumque in studiis disciplinisque navalibus magnos facit progressus; observatur, qui bene didicit geometrica; cæli siderumque peritus magni æstimatur; bonis cumulatur navarchus, qui suum præ ceteris munus explet; neque despicitur lignarius; immo vero largam laboris mercedem accipit optimeque habetur. Quia remigii gnaris certa sunt præmia atque operæ paria; haud male nutriuntur; si afficiantur morbo, curatio adhibetur; si absunt, coniugum ac liberorum cura agitur; ubi naufragio intereunt, familiæ damnum compensatur; domum dimittitur, si quis certo quodam tempore munia sua obierit. Inde est, ut, quot volumus, habeamus. Animo libenti pater filium ad disciplinam tam quæstuosam educat; puerum iam docet remos ducere, rudentes tendere, tempestates contemnere. Atque ita nulla vi, præmiis contra homines honoque ordine trahuntur. Auctoritas sola nihil efficit, nec satis est inferiorum submissio; conciliandi sunt animi, curandumque, ut ex iis rebus, in quibus tibi voles esse homines industrios, emolumenta percipiant.

Ea locutus Narbal ad horrea omnia, armamentaria officinasque navales me deduxit. Percontabar singula, etiam minima, et siquid cognoveram, quod usui esset, ut ne iret in oblivionem, litteris consignabam.

Interea qui et pernocebat Pygmalionem et me diligebat Narbal, impatiens erat tardatæ profectionis meæ, veritas, ne, quum dies noctesque tota urbe discurrerent speculatores regii, explorarer; nondum vero per ventos navem solvere licebat. Dum curiosius lustramus portum, dum varia ex variis negotiatoribus sciscitamus, adcedentem ad nos videmus aliquem e servis Pygmalionis, qui ita Narbali dicebat: Rex per unum quendam de præfectis navium ex Aegypto tecum reversarum modo comperit, peregre adductum a te esse quempiam, qui Cyprius credatur, hunc comprehendi iubet, et cuius sit, certo sciri; pro illo tu capite cavebis. Forte tum ego paululum secesseram, propius peræquam contemplaturus partium singularum proportionem, servatam a Tyriis in construenda navi propemodum nova, qua nulla idcirco velis ocioribus portum ante subisse perhibebatur, atque ea de re auctorem interrogabam.

Narbal perculsus perterritusque: E vestigio, inquit, advenam illum Cyprium quæram. Sed amisso e conspectu servo, periculi me mei commoniturus advolat. Satis superque ventura videram, ait, mi Telemache, occidimus! Rex, dies noctesque exagitatus diffidentia, non esse



te Cyprium suspicatur; te comprehendi iubet, et ni te tradidero, moriendum erit mihi. Quid consilii? Dii boni, date nobis sapienter ex impendenti periculo evadere. Ad regiam, Telemache, deducendus eris. Tu te Cyprium, Amathunte urbe natum, statuarii Veneris filium, profiteberis; ego affirmabo, notum mihi olim fuisse parentem tuum; et erit fortasse, ut omnia quaestione te rex dimittat. Aliter quomodo et tuo et meo capiti consulam, non invenio.

Sine, Narbal, pereat infelix, quem perditum fata volunt! Mori didici, et maiora tua sunt in me merita, quam ut in eandem te calamitatem traham. Cyprius nec sum, nec me oriundum e Cypriis unquam mentiar. Diis perspectus est meus veritatis amor; penes eos est mihi servare vitam, quam volent; sed mendacio servatam nolo.

Mendacium istud, Telemache, vacuum est ab omni culpa, ne a diis quidem improbandum; nemini nocet; duos servat innocentes; regem fallit ob id solum, ut grave crimen committere prohibeatur. Nimus est tuus virtutis amor, nimius religionis laedendae metus.

Ad haec ego: Satis est nomen mendacii, ut ab homine, qui diis loquatur praesentibus, quique omnia debeat veritati, ne dicatur. Veritatem quisquis laedit, deos offendit, laedit se ipsum; aliud enim loquitur, aliud sentit. Desine, Narbal, quae et te et me dedeceant, proponere. Quodsi deos misereat nostri, nostri liberandorum facile inveniant viam; sin perire nos malint, morientes veritatis victimae erimus et mortalium generi documentum intemeratae virtutis aevi longiori anteposendae; aetas mea dum adeo arumosa est, cheu! diutius iam producitur. Tui solius, dilecte Narbal, animum meum tenet commiseratio. Adeone funesta capiti tuo erunt praestita alienae calamitati officia?

Id genus altercationis diu protrahebamus, quum tandem citato cursu ad nos properantem videmus alterum regis servum, missum ab Astarbe. Erat ea mulier forma dea, cum corporis venustate omnes ingenii videres consocians, faceta, blanda, in animos callide influens, cum tam multis et fallacibus illecebris eadem Sirenum in morem crudelis et maligna, mira tamen arte mentis perversitatem dissimulans. Pulchritudine sua, ingenio, vocis suavitate lyraeque concentu Pygmalionem fascinarat. Is singulari ipsius amore caecus, repudiata Topha uxore regina, nonnisi de explendis Astarbes ambitiosae cupiditatibus cogitabat. Mulieris huius amor non minus illi, quam infamis avaritia, perniciosa fuit; verum licet adeo deperiret mulierem, mulieri ipse nonnisi contentui erat ac satietati. Quod vere illa sentiebat, dissimulabat simulabatque velle se ei soli vivere eodem ipso tempore, quo alienissimae ab illo erat voluntatis.

Tyri commorabatur Lydus quidam, Malachon nomine, iuvenis eximia quidem corporis specie, sed mollis, effeminatus, luxuria diffluens. Uni huic rei studebat, ut oris fueretur decus, fulvam caesariem per utrumque humerum demissam pecteret, unguentis corpus delibueret, sinus togae apte concinneque componeret, denique amores suos ad lyram caneret. Astarbe vidit, amavit, deperit. Eam vero sprexit ipse cum alterius feminae amore captus, tum etiam in regis invidiam incurrere veritus. Astarbe ubi se sprextam videt, indulget iracundiae. Capto a desperatione consilio efficere se posse putat, ut Malachon advena esse ducatur, de quo rex

quæsierit, quemque cum Narbale adpulsam dicant. Et sane Pygmalioni fidem facit, corruptis auro omnibus, qui regi demere errorem potuerint. Is cum viros probos neque diligeret, neque sciret discernere, homines circum se habebat suo quæque quæstu metientes, ad fraudem callidos, iniusta cruentaque mandata conficere paratos. Id genus hominum verebatur Astarbes auctoritatem, et ne displicerent arroganti feminae, in qua tota erat regis fiducia, regi imponentem adiuvabant. Ita accidit, ut Malachon, licet Cretensem esse inter omnes cives constaret, pro adolescente, quem ex Aegypto Narbal adduxisset, habitus in custodiam daretur.

Astarbæ metuenti, ne Narbal adiret regem fraudemque detegeret, nihil cunctandum visum est, quin Narbali mitteret servum illum, qui ita diceret: Te Astarbe vetat aperire regi, qui sit tuus ille peregrinus; unam poscit taciturnitatem, atque ipsa aget ita, ut tibi rex acquiescat; interim des operam, ut quam celerrime iuvenis, ex Aegypto advectus, in navem adscendat cum Cypriis, neque ab oppidanis posthac conspiciatur. Narbal letus, sic et se et me posse vivere, taciturnum se promittit, et servus, quod postularit, impetratum esse contentus, ad Astarben redit, mandati rationem daturus.

Narbal atque ego miramur bonitatem deorum, qui integritatem nostram remunerabantur tamque singulariter prospiciebant iis, qui extrema quæque pro virtute audebant. A rege avaritiæ et libidinibus dedito noster abhorret animus. Quisquis, inquit, tantum timet, ne fallatur, dignus est, qui fallatur, graviterque semper fere fallitur. Viris honestis diffidit, credit se sceleratis; solus, quid agatur, ignorat. En Pygmalionem feminae impudentis ludibrium! Dii interim malorum utuntur mendacio, quo conservent bonos, qui perdere vitam, quam mentiri malint.

Eodem tempore ventos vertere Cypriisque navibus adspirare animadvertimus. Dii, exclamat Narbal, numen declarant; te, dulcissime Telemache, tutum volunt; crudelem hanc fuge execrandamque terram! Beatus ille, cui ad ignotissimas oras te sequi, beatus, cui vivere tecum ac mori liceat! Verum nescio quod fatum acerbum miserandæ huic patriæ me addicit; patiendum cum illa est; forsitan erit, ut ruentis obruendus sim ruinis. Nihil interest, dum vera semper loquar, dum animus colat iustitiam. Ad te quod attinet, mi Telemache, a diis, qui quasi manu te ducunt, id precor, ut donorum omnium præstantissimum, virtutem puram atque immaculatam ad mortem usque tibi largiantur. Vive ac vale, revertere in Ithacenses, Penelopem solare procorumque temeritate libera! Utinam oculi tui videant, manus amplectantur sapientem Ulysses, atque Ulysses te filium sapientia sibi parem inveniat! Dum vero fortuna tibi arridet, memineris infortunati Narbalis, neque amare me unquam desine!

Talia effatum inundabam lacrimis, ne verbum quidem faciens; præ altis singultibus loqui non poteram. Taciti amplexu nos tenebamus. Ad navem me persecutus, in litore constitit, solutaque navi, alter alterum, quam diu fieri poterat, intueri non cessabamus.

*Finis libri tertii.*